

SERMO CCLIII¹.*In diebus Paschalibus, XXIV.*

De ultima lectione Evangelii Joan. XXI.

I. EVANGELIUM sancti Joannis apostoli, quod dicitur « Secundum Joannem, » hodie terminatum est, de his quæ narravit, quomodo apparuerit Dominus post resurrectionem Discipulis suis. Compellavit ergo apostolum Petrum, illum præsumptorem et negatorem, cum loqueretur ei jam vivus morte devicta, et dicebat: « Simon » Joannis, (sic enim appellabatur Petrus,) amas me? » Respondebat ille quod erat in corde ipsius. Si Petrus respondebat quod in corde habebat, Dominus quare quærebat, qui cor videbat? Denique ipse etiam Petrus mirabatur, et cum quodam tædio audiebat quærentem, quem noverat scientem. Semel dictum est: « Amas me? » Responsum est: « Diligo te, Domine, tu scis. » Et iterum, « Amas me? Domine, tu omnia nosti; tu scis quia diligo » te. » Et tertio, « Amas me? » Contristatus est Petrus. Quid contristaris, Petre, quia ter respondes amorem? Oblitus es trinum timorem? Sine interroget te Dominus: medicus est qui te interrogat: ad sanitatem pertinet quod interrogat. Noli tædio affici. Expecta, impleatur numerus dilectionis, ut delet numerum negationis.

¹ Alias de Tempore 149. — ² Joan. XXI, 15, 16.

II. Ubique tamen, ubique, id est, in ipso ternario numero interrogationis suæ Dominus Jesus respondenti amorem commendat agnos suos, et dicit: « Pasce agnos meos, » pasce oves meas: » tanquam diceret: Quid mihi retribuïbis, quia diligis me? Dilectionem tuam ostende in ovibus meis. Quid mihi præstas, quia diligis me; quando ego tibi præstiti, ut diligeres me? Sed dilectionem tuam erga me, habes ubi ostendas; habes ubi exerceas. « Pasce » agnos meos. » Qualiter autem essent pascendi agni Domini, oves tanto pretio comparatæ quanta essent dilectione pascendæ, in consequentibus demonstravit. Postquam enim Petrus impleto legitimo numero trinæ responsionis professus est se esse Domini dilectorem, commendatis sibi ovibus ejus, audit de sua futura passione. Hic demonstravit Dominus, sic diligendas oves suas ab eis quibus eas commendat, ut parati sint mori pro eis. Sic idem Joannes in Epistola sua ait: « Sicut pro nobis Christus » animam suam posuit, sic et nos debemus pro fratribus » animas ponere¹. »

III. Responderat ergo Domino Petrus per superbam quamdam præsumptionem, quando ei dixerat: « Animam » meam pro te ponam². » Nondum acceperat vires, quibus impleteret promissum. Modo jam ut possit hoc facere, impletur charitate. Ideo ei dicitur: « Amas me? » Et respondet, « Amo: » quia hoc non implet nisi charitas. Quid est ergo, Petre? quando negasti, quid timuisti? Totum quod timuisti, hoc erat, mori. Vivus tecum loquitur, quem mortuum vidisti: noli jam timere mortem; in illo victa est, quam timebas. Pependit in cruce, confixus est clavis, spiritum reddidit, lancea percussus est, in sepulcro positus. Hoc timuisti, quando negasti; ne hoc patereris, timuisti; et mortem timendo, vitam negasti. Modo intellige:

¹ I Joan. v, 16. — ² Joan. xiii, 37.

quando timuisti mori, tunc es mortuus. Mortuus est enim negando : sed resurrexit plorando. Quid deinde ait illi ? « Sequere me¹ : » sciens ejus maturitatem. Si enim meministis, imo quia meminerunt, qui legerunt; commemorantur etiam qui non meminerunt, aut cognoscant qui non legerunt. Dixerat Petrus, « Sequar te quocumque » ieris. » Et Dominus ad illum : « Non potes me sequi » modo; sequeris autem postea². » Modo, inquit, non potes : promittis, sed ego video vires tuas. Ego venam cordis inspicio, et quod verum est ægroto renuntio. « Non potes me sequi modo. » Sed ista medici renuntiatio, non est desperatio : adjunxit, et ait : « Sequeris autem postea. » Eris sanus, et sequeris me. Jam quia videt quid agatur in corde ipsius, et videt quod donum dederit dilectionis animæ ipsius, dicit ei : « Sequere me. » Ego certe dixeram : « Non potes modo : » ego modo dico : « Sequere me. »

IV. Sed nata est quædam quæstio non omittenda. Cum dixisset Dominus Petro : « Sequere me : » respexit Petrus ad Discipulum quem diligebat Jesus, id est, ad ipsum Joannem, qui Evangelium hoc scripsit; et ait Domino : « Domine, iste quid ? » Scio quia diligis eum; quomodo ego sequor, et ipse non sequitur? Ait Dominus : Sic eum » volo manere, donec veniam : tu me sequere. » Ipse vero Evangelista, ipse qui scripsit, de quo dictum est hoc, « Sic eum volo manere, donec veniam : » secutus adjunxit verba sua in Evangelio, et ait, natam fuisse famam inter fratres propter hoc verbum, quia Discipulus ille non esset moriturus. Et ut tolleret istam opinionem adjunxit : « Non » autem dixit eum non fuisse moriturum, sed tantum » dixit : Sic eum volo manere, donec veniam : tu me sequere³. » Hanc ergo opinionem, qua putabatur Joan-

¹ Joan. XXI, 19. — ² Id. XIII, 36. — ³ Id. XXI, 22, 23. v. not. 1.

nes non moriturus, abstulit Joannes ipse consequentibus verbis suis, et ne hoc credatur, ait : Non hoc dixit Dominus, sed dixit hoc. Quare illud autem dixerit, Joannes non exposuit, sed nobis reliquit propter quod pulsemus, si forte aperiatur nobis.

V. Quantum mihi Dominus donare dignatur, quantum mihi videtur, (videtur autem et melius melioribus,) sic puto istam solvi quæstionem duobus modis : aut de passione Petri dixit Dominus, quod dixit; aut de Evangelio Joannis. Quod est de passione : ut sit, « Sequere me, » patere pro me, patere quod ego. Crucifixus est enim Christus, crucifixus est et Petrus. Expertus est clavos, expertus est cruciatus. Joannes autem nihil eorum expertus est : hoc est, « Sic eum volo manere, » sine vulnere, sine cruciatu dormiat, et expectet me. « Tu me sequere, » patere quod ego : sanguinem fudi pro te, funde pro me. Uno ergo isto modo exponi potest, quod dictum est : « Sic eum volo manere, » donec veniam : tu me sequere. » Nolo ut ipse patiat, tu patere. Secundum autem Evangelium Joannis, hoc mihi videtur intelligi : quoniam Petrus scripsit de Domino, scripserunt et alii : sed scriptura eorum magis circa humanitatem Domini est occupata. Dominus enim Christus et Deus est, et homo. Quid est homo? Anima et caro. Quid est ergo Christus? Verbum, anima et caro. Sed qualis anima? quia et pecora habent animas. Verbum, rationalis anima et caro : hoc totum Christus. Sed de Divinitate Christi in Litteris Petri aliquid : in Evangelio autem Joannis multum eminent. « In principio erat Verbum, » ipse dixit. Transcendit nubes, et transcendit sidera, transcendit Angelos, transcendit omnem creaturam, pervenit ad Verbum, per quod facta sunt omnia. « In principio erat Verbum, et » Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc » erat in principio apud Deum : omnia per ipsum facta

» sunt¹. » Quis videt, quis cogitat, quis digne suscipiat, quis digne pronuntiet? Tunc habet bene intelligi, quando venerit Christus. « Sic eum volo manere, donec veniam. » Exposui sicut potui: potest ipse melius in cordibus vestris.

SERMO CCLIV¹.

In diebus Paschalibus, XXV.

I. Sic se habet, fratres mei, sic se habet miseria nostræ conditionis et Dei miseratio, ut tempus mœstitiæ tempus lætitiæ præcedat: id est, ut prius sit tempus mœstitiæ, posterius tempus lætitiæ; prius sit tempus laboris, posterius quietis; prius sit tempus calamitatis, posterius felicitatis. Sic se habet miseria nostræ conditionis, ut diximus, et divina miseratio. Tempus enim mœstitiæ, laboris, miseriæ, peccata nostra nobis pepererunt; tempus vero lætitiæ, quietis, felicitatis, non venit de meritis nostris, sed de gratia Salvatoris. Aliud meremur, aliud speramus: meremur mala, speramus bona. Hoc facit misericordia ejus, qui creavit nos.

II. Sed tempore miseriæ nostræ, et, sicut Scriptura loquitur, diebus nativitatis nostræ, nosse debemus unde debeat esse ipsa tristitia. Tristitia enim sic est, quomodo stercus. Stercus non loco suo positum, immunditia est. Stercus non loco suo positum, immundam facit domum: loco suo positum, fertilem facit agrum. Videte stercoris locum ab agricola provisum. Ait Apostolus: « Et quis est

¹ Alias de Tempore 151.

» qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me¹? » Et alio loco: « Tristitia, inquit, secundum Deum pœnitentiam in salutem impœnitendam operatur². » Qui secundum Deum tristis est, in pœnitentiam tristis est de peccatis suis. Tristitia de iniquitate propriam³ justitiam parturit. Prius tibi displiceat quod es, ut possis esse quod non es. « Quæ secundum Deum est, inquit, tristitia, pœnitentiam in salutem impœnitendam operatur. Pœnitentiam, inquit, in salutem. » Qualem salutem? « Impœnitendam. » Quid est: « Impœnitendam? » Cujus te omnino pœnitere non possit. Habuimus enim vitam, cujus nos debuimus pœnitere: habuimus vitam pœnitendam. Sed non possumus pervenire ad vitam impœnitendam, nisi per malæ vitæ pœnitentiam. Numquid, fratres, ut dicere cœperam, in massa tritici purgata invenies stercus? Tamen ad illum nitorem, ad illam speciem et pulchritudinem per stercus pervenitur: rei pulchræ foeditas via fuit.

III. Merito etiam Dominus dicit in Evangelio de quadam arbore infructuosa: « Jam ecce triennium est, quod venio ad eam, et fructum in ea non invenio: præcidam illam, ne mihi agrum impediatur. » Intercedit colonus: intercedit jam securi imminente infructuosis radicibus, et pene feriente: intercedit colonus, quomodo intercessit Deo Moyses: intercedit colonus, et dicit: « Domine, mitte illam et hoc anno, circumfodio ei, et adhibeo cophinum stercoris; si fecerit fructum, bene; si minus, præcides eam⁴. » Arbor ista genus est humanum. Visitavit istam arborem Dominus tempore Patriarcharum, quasi primo anno. Visitavit eam tempore Legis et Prophetarum, quasi secundo anno. Ecce in Evangelio tertius annus illuxit. Jam quasi præcidi debuit: sed interpellat misericors misericordem. Qui enim se volebat

¹ 2 Cor. II, 2. — ² Id VII, 10. — ³ Forte propria. — ⁴ Luc. XIII, 7-9.

exhibere misericordem, ipse sibi opposuit intercessorem. Dimittatur, inquit, et hoc anno: circumfodiatur ei fossa; signum est humilitatis: adhibeatur cophinus stercoris, si forte det fructum. Imo quia dat fructum, ex parte non dat fructum, veniet Dominus ejus, et dividet eam¹. Quid est, dividet? Quia sunt boni, et sunt mali: modo autem in uno cœtu, tanquam in uno corpore sunt constituti. b c

IV. Ergo, fratres mei, ut dixi, stercoris locus opportunus dat fructum, importunus autem locum facit immundum. Nescio quis tristis est, inveni nescio quem tristem: stercus video, locum quæro, dic amice, unde tristis es? Perdidit, inquit, pecuniam. Locus immundus, fructus nullus. Audiat Apostolum: « Tristitia mundi mortem operatur². » Non solum fructus nullus, sed et magna perniciēs. Sic et de cæteris rebus ad gaudia sæcularia pertinentibus, quas res longum est enumerare. Video alium tristantem, gementem, flentem: multum stercoris video, et ibi locum quæro. Et cum viderem tristem, flentem; inspexi et orantem. Orans nescio quid mihi bonæ significationis ingessit: sed adhuc locum quæro. Quid enim si iste orans, gemens, magno fletu mortem roget inimici sui? Etiam sic jam plorat, jam rogat, jam orat; locus immundus, fructus nullus. Plus est quod invenimus in Scripturis: rogat ut moriatur inimicus ipsius, incidit in maledictionem Judæ: « Oratio ejus fiat in peccatum³. » Inspexi alium rursus gementem, flentem, orantem: stercus agnosco, locum quæro. Intendi autem orationi ejus, et audio dicentem: « Ego dixi: Domine, miserere mei, » sana animam meam, quoniam peccavi tibi⁴. » Gemit peccatum: agnosco agrum, expecto fructum. Deo gratias: bono loco est stercus; non ibi vacat; fructum parturit. Hoc est vere tempus fructuosæ mœstitiæ, ut conditionem

¹ Luc. xii, 46. — ² 2 Cor. vii, 10. — ³ Psal. cviii, 7. — ⁴ Id. xl, 5.

mortalitatis nostræ, abundantiam tentationum, subreptiones peccatorum, adversitates cupiditatum, rixas concupiscentiarum contra bonas cogitationes semper tumultuantium doleamus; hinc tristes simus.

V. Hoc tempus miseræ nostræ et gemitus nostri, quadraginta dies illi significant ante Pascha: lætitiæ vero, quæ posterior erit, quietis, felicitatis, vitæ æternæ, regni sine fine, quod nondum est, his diebus quinquaginta, quibus diebus Deo laudes dicuntur, significatur. Significantur enim nobis duo tempora; unum ante resurrectionem Domini, alterum post resurrectionem Domini: unum in quo sumus, alterum in quo nos futuros esse speramus. Tempus mœroris, quod significant dies Quadragesimæ, et significamus et habemus: tempus autem lætitiæ et quietis et regni, quod significant dies isti, significamus per Alleluia, sed nondum habemus laudes. Sed nunc suspiramus ad Alleluia. Quid est, Alleluia? Laudate Deum. Sed nondum habemus laudes: in Ecclesia frequentantur laudes Dei post resurrectionem, quia nobis erit perpetua laus post resurrectionem nostram. Domini passio tempus nostrum significat, in quo nunc flemus. Flagella, vincula, contumeliæ, sputa, spinea corona, vinum fellitum, in spongia acetum, insultationes, opprobria, postremo ipsa crux, in ligno membra sacra pendentia, quid nobis significant, nisi tempus quod agimus, tempus mœroris, tempus mortalitatis, tempus tentationis? Ideo foedum tempus: sed foeditas ista stercoris sit in agro, non in domo. Mœror sit de peccatis, non de cupiditatibus fraudatis. Foedum tempus: sed si bene utamur, fidele tempus. Quid foetidius agro stercorato. Pulchrior fuit ager, antequam cophinum stercoris haberet; perductus est ager ad foeditatem, ut veniret ad ubertatem. Ergo foeditas hujus temporis signum est: sed nobis sit ista foeditas tempus fertilitatis.

Videamus ergo cum Propheta, quid dicat : « Vidimus » eum. » Qualem ? « Non habentem speciem neque decorem¹. » Quare ? Alium Prophetam interroga . « Di- » numeraverunt omnia ossa mea². » Dinumerata sunt ossa pendentis. Foeda species, crucifixi species : sed ista foeditas pulchritudinem parturit. Quam pulchritudinem ? Resurrectionis. Quia « Speciosus forma præ filiis ho- » minum³. »

VI. Laudemus ergo, fratres, Dominum ; quia ejus fidelia promissa retinemus, nondum accepimus. Parum putatis, quia promissorem tenemus, ut jam debitorem exigamus ? Promissor Deus debitor factus est bonitate sua, non prærogantia nostra. Quid ei dedimus, ut eum debitorem teneamus ? An forte quod audistis in Psalmo, « Quid » retribuam Domino ? » Primo quando dicit : « Quid re- » tribuam Domino, » verba sunt debitoris, non debitum exigentis. Prærogatum est illi : « Quid retribuam Do- » mino ? » Quid est : « Quid retribuam ? Rependam. Pro qua re ? » Pro omnibus quæ retribuit mihi. » Quid retribuit mihi ? Primo nihil eram, et fecit me ; perieram, quæ- sivit me ; quærens invenit me, captivum redemit me, emptum liberavit me, de servo fratrem fecit me. « Quid » retribuam Domino ? » Non habes quod retribuas. Quando ab illo totum expectas, quid habes retribuere ? Sed expecta : nescio quid vult dicere. Cur quærit « Quid » retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? » Circumspiciens undique quid retribuatur, quasi invenit. Quid invenit ? « Calicem salutaris accipiam⁴. » Retribuere cogitabas, adhuc accipere quæris. Vide, rogo. Si adhuc accipere quæris, adhuc debitor eris, quando retributor ? Si ergo semper debitor eris, quando retribues ? Non invenis quod retribuas : nisi quod dederit, non habebis.

¹ Isaï. LIII, 2. — ² Psal. XXI, 18. — ³ Id. XLIV, 3. — ⁴ Id. CXV, 12.

VII. Vide, quando dicebas : « Quid retribuam ? » ad illud pertinet quod dixisti : « Omnis homo mendax¹ : » Qui enim voluerit dicere, quia retribuet aliquid Deo, mendax est : (Omnia ab illo speranda sunt ; a nobis ipsis præter illum nihil nisi forte peccatum :) et mendacium de suo loquitur. Vere plene de suo abundat homo ; mendacium omnino hic habet et thesaurum mendaciorum : cor suum mentiatur, quantum potest, non deficit ; fingat quidquid potest, mentiatur quidquid potest. Quare ? Quia quod gratis habet, de se habet, non illud emit. Quando venit ad veritatem, si verax vult esse, non erit de suo. Mendax Petrus de suo. Ubi mendax ? Promisit nobis Dominus passionem : et dicit : « Absit a te, non fiat illud. » Omnis homo mendax. » Unde mendax ? Ipsum Dominum audi : « Non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt ho- » minis². » Verax autem Petrus, quando ? « Tu es Chris- » tus Filius Dei vivi. » Unde ista veritas homini mendaci ? Ecce homo dicit : « Tu es Christus Filius Dei vivi. » Quis dicit ? Petrus. Quid erat Petrus ? Homo, qui dixit verum. Certe, « Omnis homo mendax. » Ecce, ecce lingua ejus, ecce lingua³ de lingua ejus : quomodo, « Omnis homo » mendax ? » Audi, quia « Omnis homo mendax, » quia de suo. Ergo unde Petrus verax ? Audi ipsam veritatem, « Beatus es, Simon Bar-Jona. » Unde beatus ? de suo ? Absit. « Quia tibi non revelavit caro et sanguis, sed Pater » meus qui in cælis est⁴. »

VIII. Laudemus ergo Dominum, charissimi, laudemus Deum, dicamus Alleluia. Significemus istis diebus diem sine fine ; significemus locum immortalitatis, tempus immortalitatis : festinemus ad domum æternam. « Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt

¹ Psal. CXV, 11. — ² Matth. XVI, 22, 23. — ³ Forte veritas. — ⁴ Matth. XVI, 19.

» te¹. » Lex dicit, Scriptura dicit, veritas dicit. Venturi sumus ad domum Dei, quæ est in coelis. Ibi non quinquaginta diebus Deum laudabimus : sed quemadmodum scriptum est, « In sæcula sæculorum. » Videbimus, amabimus, laudabimus. Nec quod videbimus deficiet, nec quod amabimus peribit, nec quod laudabimus tacebit : sempiternum totum erit, sine fine erit. Laudemus, laudemus ; sed non solis vocibus, laudemus et moribus : laudet lingua, laudet vita : sed habeat charitatem infinitam. **Conversi ad Dominum, etc.**

SERMO CCLV².

In diebus Paschalibus, XXVI.

De Alleluia.

I. QUONIAM voluit Dominus, ut Charitatem Vestram in Alleluia videremus³, de Alleluia vobis verbum debemus. Non sim oneri, si commemoro quod nostis : quia et ipsum Alleluia quotidie dicimus, et quotidie delectamur. Nostis enim quia Alleluia, Latine dicitur, Laudate Deum : et in hoc verbo consonantes ore et consentientes corde, exhortamur nos invicem ad laudandum Deum. Eum tantum homo securus laudat, qui non habet unde displiceat. Et in hoc quidem tempore peregrinationis nostræ ad solatium

¹ Psal. LXXXIII, 5. — ² Alias de Diversis I. — ³ Habuit ergo Sermone in loco peregrino, forte Carthagine anno 418, quo Synodus ibi contra Pelagianos Kalendis Maii celebrata est.

viatici dicimus Alleluia ; modo nobis Alleluia canticum est viatoris : tendimus autem per viam laboriosam ad quietam patriam, ubi retractis omnibus actionibus nostris, non remanebit nisi Alleluia.

II. Istam partem suavissimam sibi Maria elegerat, quæ vacabat, discebat, laudabat¹ ; Martha vero soror ejus, circa plurima fuerat occupata. Equidem agebat rem necessariam, sed non permansuram : agebat rem viæ, nondum patriæ : agebat rem peregrinationis, nondum possessionis. Susceperat enim Dominum, et eos qui cum illo erant. Et Dominus carnem habebat : et sicut pro nobis dignatus est carnem suscipere, ita dignatus est esurire et sitire. Et ex eo quod dignatus est esurire et sitire, dignatus est pasci ab eis quos ipse ditavit ; dignatus est suscipi, non inopia, sed gratia. Agebat ergo Martha quod pertinebat ad necessitatem esurientium et sitientium : parabat conversatione sollicita, quod manducaretur et biberetur a sanctis et ab ipso Sancto sanctorum in domo ejus. Magnum opus, sed transitorium. Numquid esurire et sitire semper erit ? Quando inhærebimus purissimæ illi et perfectissimæ bonitati, non erit quare servire necessitati. Beati erimus, nullo indigentes ; multum habentes, nihil quærentes. Et quid est quod habebimus, ut nihil quæramus ? Dixi : quod creditis, postea videbitis. Quod ergo diximus, multum habentes et nihil quærentes, id est, nullo indigentes ; quid est ipsum quod habebimus ? Servientibus sibi Deus, colentibus eum, credentibus in eum, sperantibus in eum, amantibus eum quid dabit ?

III. Videmus enim quanta det in hoc tempore diffidentibus de illo, desperantibus de illo, aversis ab illo, blasphemantibus illum, videmus quanta dona largiatur. Ab illo est enim primo sanitas : quæ sic dulcis est, ut in fas-

¹ Luc. x, 39.